



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

Approbatio Illustrissimi Et Reverendissimi Episcopi Condomensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

## A P P R O B A T I O

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

ARCHIEPISCOPI EBRODUNENSIS, EPISCOPI METENSIS.

**P**ROVIDENTIÆ divinæ admirandum est in eo consilium, quod cum permiserit Religionem Christianam, omnibus sæculis, ab inimicis foris & intus impugnari; quorum illi fidei principia penitus negando convellerent, sicut Ethnici & Judæi; hi vero quadam ex parte varie labefactarent, ut Hæretici, præclaros semper veritatis fuscitaverit propugnatores, qui utroque luculenter confuderunt. In quibus absque fūco possumus affirmare, postquam hoc Opus, cui titulus est, DEMONSTRATIO EVANGELICA, à clarissimo Viro PETRO DANIELE HUETIO compositum accurate legimus, vix ullum reperiri doctrinæ reconditoris, majorisque perspicuitatis; meritoque Virum insignem inter præcipuos numerari tanti argumenti tractatores. Hinc enim Veteris, Novique Testamenti auctoritatem, veritatemque comprobat, cum ex contextu ipso, tum ex consensu celeberrimorum, qui primis temporibus vixerunt, Auctorum, & quamvis profani, sacris Literis suffragati sunt: illinc autem ostendit Jesum Christum, verum esse Messiam, simul Deum & hominem, in quo omnium Prophetiarum complementum absolvatur, solumque qui viam salutis homines docuerit. Itaque censemus hunc Librum, non solum propter doctrinam Orthodoxam, sed etiam propter utilitatem maxime amplectendum; quippe ibi Fideles habent, quo eorum fides nutriatur; & Infideles, quo convincantur. Datum Parisiis, ubi negotiorum Ecclesiæ nostræ causa degimus. Idib. Octobr. A. R. S. M. DC. LXXVIII.

GEORGIUS D'AUBUSSON, DE LA FEUILLADE,  
Archiepiscopus Ebrodunensis, Episcopus Metensis.

## A P P R O B A T I O

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

EPISCOPI BAJOCENSIS.

**M**ULTUM gratulari debemus Cadomeni Academiæ, totique adeo nostræ Dicecisi, quod hisce temporibus alterum tulerit Origenem, Virum dico clarissimum PETRUM DANIELEM HUETIUM, qui pro sua singulari eruditione, non solum redivivos nobis exhibuit prisca illius Auctoris libros, sed eum nunc quoque in se exprimit ac representat: dum adversus Religionis Christianæ perduelles, perinde ut ille olim adversus impium Celsum, imo feliciter etiam præliatur. Sic enim noster Origenes hoc in Opere, cui titulus est, DEMONSTRATIO EVANGELICA, è Veteris Novique Testamenti consensu & Parallelismo, mira arte concinnato, tela depromit & contorquet, ut ubique profligatos Judæorum & Gentilium errores videas, & integra ac illibata semper maneat Christiana veritas. Jure igitur commendari debet hoc Opus, quod mille clypei pietatis, & Libris sacris traditæ doctrinæ, reddunt armaturam fortium. Datum Bajocis, XXV. Sept. A. R. S. M. DC. LXXVIII.

FRANCISCUS Episcopus Bajocensis.

## A P P R O B A T I O

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

EPISCOPI CONDOMENSIS.

**D**EMONSTRATIONEM EVANGELICAM, à Viro clarissimo; datque in omni genere doctrinæ celeberrimo PETRO DANIELE HUETIO editam, summa cum animi voluptate perlegi; opus elaboratissimum, ac recondite eruditionis; quippe quo Prophetarum referentur oracula, ipsique Scripturarum recludantur fontes; Judæi porro, ac ceteri Religionis hostes haud minus copiose quam



19

solide refellantur. Quo in argumento Vir doctissimus ita est versatus, ut sanam doctrinam non modo nihil læserit, sed invictissime propugnarit; ipsamque pietatis arcem, & validissimis munimentis undecunque protexerit, & us armis instruxerit, quibus insurgentes hostes facile proturbentur ac profligentur. Datum in Palatio Sangermano, VIII. Jul. A. R. S. M. DC. LXXVIII.

JACOBUS BENIGNUS Antiq. Episcopus Condomensis.

---

A P P R O B A T I O

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI

EPISCOPI SAGIENSIS.

**J**URE merito Christianissimi Regis aulam dixerimus Christianam, in cujus gremio inter alios elucet hodie Vir omni exceptione major, cœlestis curiæ vere aulicus, ac patriæ Religionis invictissimus assertor, clarissimus Dominus *Petrus Daniel Huëtius*, qui ex concordia Veteris & Novi Testamenti, hoc Volumine feliciter comprobata, tamquam ex firmissimo ac tutissimo munimento, singulari quadam & mira eruditione arma subministrat, quibus Christi Jesu fides propugnatur, veritas defenditur, adstruitur divinitas; è contrario vero Judæorum perfidia, Gentilium cœcitas, impiorum blasphemia, Hæreticorum denique errores sternuntur ac profligantur. Quem quidem Librum, qui inscribitur **PETRI DANIELIS HUËTII DEMONSTRATIO EVANGELICA**, summa cum animi lætitia vidimus, nihilque in eo, nisi Catholicæ fidei, ac probis moribus maxime consonum deprehendimus. Idcirco, non pro nostra cum gravissimo hoc Auctore necessitudine, aut ex ipsius in nos fideli benevolentia, istud consummata doctrinæ opus commendandum censemus; sed ejusdem præstantissimo merito inclinantes, dignum lumine, & quod prælo mandetur, ad Ecclesiæ commodum, ac Fidelium institutionem judicamus. Datum Sagii, in Episcopali nostro Palatio, sexto Kal. Octobr. anno millesimo sexcentesimo septuagesimo octavo.

JOANNES Episcopus Sagiensis.

---

A P P R O B A T I O

DOCTORUM THEOLOGORUM

SCHOLÆ PARISIENSIS.

**L**IBRUM, cui titulus est, **PETRI DANIELIS HUËTII DEMONSTRATIO EVANGELICA**, eximia doctrinæ opus, arte singulari concinnatum diligenter evolvimus; in quo nihil à fide Catholica, probisve moribus offendimus alienum, sed Auctoris altum & acre ingenium, summamque eruditionem, pari pietate conjunctam, quam in eo ubique deprehendimus, vix satis ut æquum est possumus commendare. Accuratam ille nobis Veteris Testamenti cum Novo Fœdere consensionem refert, arcanaque Scripturæ sacræ reconditissima, quæ Christum, Religionemque Christianam spectant, facili ratione, perspicua simul & sagaci ac docta interpretatione feliciter explanat; unde & scriptionem hanc Serenissimo, cui offertur, **DELPHINO** dignissimam censemus; eaque nobis videtur, quæ ad commune Christianæ Reipublicæ commodum plurimum conferat, & merito hanc ob causam publici juris fiat. In cujus rei fidem Nos infra scripti Scholæ Parisiensis Doctores Theologi nostrum hic chirographum apposuimus. In Sorbona, Idib. Jul. M. DC. LXXVIII.

PIROT.

PH. DU BOIS.